

speramus. Vtinam iam littus eius attingeremus! vtinam fluctus istius euaderemus! Circumferimur, periclitamur, naufragia experimur, & exire dissimulamus? Quis non optat portum, ne incurrat naufragium? Quis non præcidit hærentis in salo nauiculæ funem, ne sentiat tempestatem? Quis negligit patriam, & amat exilium? Quis fugit patrem, & sequitur hostem? Gaudeo quia iam tenetis portum, & sedetis ad portam sanctæ ciuitatis, cuius participatio in idipsum. Vacillat quidem adhuc nauicula nostra, sed spero & expecto solatium vestrum, cuius per integram amicitiam possideo totum animum. Adiuro vos, si inueneritis dilectum, immo si veneritis ad eius cubiculum, nuncietis ei quia amore langueo. Credite mihi, si venirem ad porticum Salomonis, ne dicam ad sanctuarium Saluatoris, loquerer pro amico, postularem pro domino meo, pronuntiarem in auribus Domini Sabaoth, & quæ mihi, & quæ per me pauperibus fecistis. Appellarem pium, compellerem iustum dicens, *Memor esto verbi tui seruo tuo*. Est enim verbum tuum, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Ecce substantia domini mei Londensis quondam Archiepiscopi, nunc pauperis Clareuallensis, per manus pauperum tuorum apud te est. Repende ergo ei vicem, & da ei substantiam tuam, qui tibi dedit suam, tamen quam tu dederas, quam a te acceperat. Amantissime pater, non dormit neque dormitat in recordatione vestra cor meum. Clamat, pulsat, statque ad fores nostras, quando inquires videbo quem desiderat anima mea? quando veniam & videbo illum? Via longa est, pedes vix mouentur, renes congelantur, & quomodo longe positus amicus videbitur? Quærendum est ergo remedium, vbi primum deest solatium. Pergere nequeo, scribere saltem valeo. Cernere non potest oculus, alloquatur stylus. Currat in membranis litera, quia in membris suis retardatur corporalis præsentia. Referat charta quod non potest lingua. Suppleat imago mortua, quod non valet viua & vera. Syllabæ fortunam nostram nuncient, quia eloquia oris nequeunt: desidero vos videre. Pax Christi & gratia Dei vobiscum semper. Saluto Capellanos, & Priorem, domnum Gaucherium, & domnum Autisiodorenses Episcopum, & Philippum, & omnes amicos nostros. Valete.

80.

1178 — 1182.

Abbot PETERS i Remi Skrifvelse med Bisk. FOLKE, och förord för honom, till Ärke-Bisk. ARSALON i Lund.

K. h. 2: 607. n:o 154.

*Archiepiscopo Londensi, Petrus Abbas S. Remigij.*

Gratias diuinæ agimus gratiæ de bono odore gratissimæ famæ vestræ; cuius tam copiosa redundat affluentia, vt cælos ascendat, & terras etiam finitimas

nitimas suaviter respergat. Larga Dei manus de oleo cælestis promptuarij mensuram bonam, & confertam, & cogitatum, & supereffluentem dedit in sinum, immo in caput vestrum. De hoc itaque oleo & lampas propriæ conscientiæ decenter ornatur, & lucernæ totius prouinciæ vestræ sufficienter suffunduntur. Scio & pro certo habeo, quod nisi fundamentum subesset bonæ conscientiæ, non sic dilataretur, & continuaretur vapor tam lucidæ & præclaræ famæ. Germen antiquum prædecessoris vestri non sub vna nocte aruit, sicut cucurbita Jonæ. requieuit spiritus Heliæ super Eliseum, vtique Esquilij super Absolonem. Rigauit quod ipse plantauit: nec sufficit rigare, nisi adieceritis & noua plantare. Deus itaque incrementum dabit. nec erit vtriusque vestrum labor inanis, vbi superaddit gratiam manus superni remuneratoris. Nunquam enim Deus fraudat operarium suum digna mercede. Vtique & pie iuuat laborantem, & iuste remunerat operatorem. Vnde & suum est opus nihilominus & suum munus. Nequaquam igitur mentitur opus oliuæ, vbi cooperatur donum gratiæ. Non cesset itaque operatio, vbi restat certissima remuneratio. Denique, pater amantissime, carbones viuos & consolatorios instantissime animo vestro suggerat, non solum spes futurorum, sed etiam ipsa prælibatio, qua iam nunc memoria vestri traditur & commendatur orationibus fidelium & sanctorum virorum. Interim ne miramini, quod ego ignotus & terra remotus iam secundo scribo vobis. Habetis amicos iuxta vos & notos, Fulconem quondam monachum nostrum nunc Episcopum, qui multis persuasionibus pulsat me, & compellit vobis scribere. Præsentium quoque lator, qui vos vsque ad angelos Dei extollit.

81.

1178 — 1182.

Abbot PETERS i Remi tacksägelse bref till Ärke-Bisk. ABSALON i Lund för de Bisk. FOLKE visade välgärningar.

K. h. 2: 607. n:o 153

*Archiepiscopo Lundensi, Petrus Abbas sancti Remigij.*

Spiracula virtutum & odoramenta, suauia sunt & perpetua. Nam nec longæuitate veterascunt, nec longinquitate odorem suum minuunt. Ecce vestra Dacia remota est a nostra Francia. Distant enim & moribus hominum, & consuetudinibus, siue situ terrarum. Sed virtus, siue hic, siue illic, nec vultum mutat, nec habitum; nec fructum, nec vsum. Species illi vna & in Dacia & in Francia. Quorsum hæc? quid ad materiam præsentem attinet de insolubili & immobili vigore & decore virtutis scribere, cum sufficit grates referre vobis pro beneficijs fratri & amico nostro Fulconi Episcopo col-

*Sv. Dipl.*